

illud negotium pertinere abitramur. Illud saltem negamus, Hebraicam vocem הנה , ut & Græcam πόρνην originali suo significato cauponam denotare, quod, uti vidimus, a Scriptura sacra & profanis scriptoribus alienum est. Sic quoque Chaldaicum Pondekitha & Græcum πανδοκείτρια , si etymologiam spectes, hospitam, si vero usum, meretricem indicat. Ut adeo neque Chaldæum, neque LXX. Senes erroris accusare possimus, quia utræque voces sibi invicem respondent. Hac vero impudicitiae labe absterfa, mirum non est, Rachabam profelytam Salmoni nupsisse, eamque laudem obtinuisse, ut Servatoris Majoribus annumerata sit. Quod vix factum, si in idoli æde, cujus nulla sit in Scriptura mentio, impudicis quorumque amplexibus sese obtulisset. Nec unquam legimus, ejus & Salmonis posteros a cœtu ecclesiastico esse exclusos, nec tale quid Judæorum hodiernæ leges, uti vidimus, prohibent. Conveniebat potius, oleastrum in bonam oliyam inferi.

S. D. G.

